



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

719. An, & quid speciale sit hac in parte circa monasteria monialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

secundum se, siue nondum per rō presentandum videretur intelligere providendum collativē, & per rō institutum ubi intelligere, auctorizabiliter. Quod si etiam huiusmodi concessio fiat per Episcopum pleno iure respectu spiritualium (quid sit respectu vistratiōis, & eorum, quæ sunt ordinis, hæc enim non veniunt sub concessione facta, pleno iure. Lott. n. 14. ex Imol. & Butrio in c. de Monach.) institutio utraque & collativa & auctorizabilis erit penes monasterium; non quidem iure proprio, quasi ab Episcopo avulsā, & in monasterium translata, quod ut dictum est, impossibile; sed iure & vice illius, adeo ut monasterium in hoc dicatur Vicarius Episcopi. Lott. n. 13. ex Jo. And. in cit. c. de Monach. n. 10.

3. Au verò in hoc casu examen quoque ipsum faciendum sit à Monasterio, seu ejus Prælatō vice Episcopi, an adhuc ab ipso Episcopo, non dicit Lott. Quod si tamen etiam Ecclesia parochialis ita quoad temporalia & spiritualia monasterio (idem est de alio collegio, etiam seculari) concessa foret, nimirum à Papæ, ut ratione quoque populi exempta sit, seu subducta jurisdictioni spirituali (quod Layman vocat iure plenissimo concessam) adeoque Monasterium seu ejus Prælatō haberet jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut sine dependentia ab Episcopo diocesis instituere, & destituere posset; ut Rodriq. Tom. 1. reg. 99. q. 36. a. 1. examen indubitato non ab Episcopo, sed à Prælatō monasterii habendum, eidemque competeret institutio auctorizabilis etiam ut videretur non vice seu iure Episcopi, sed iure proprio à Papa ei concessio, quod videretur velle Lott. loc. cit. n. 32.

4. Idem etiam simpliciter, absque eo, quod faciat mentionem exemptionis ratione populi, tradit Tond. qq. benef. p. 2. c. 1. §. 5. n. 12. his fere verbis: dum loquimur de unione facta pleno iure, verba illa habere possunt duplicem sensum. Primo quoad spiritualitatem & temporalitatem, non tamen quoad potestatem auctorizandi pro administratione curæ animarum, & tunc debet à monasterio deputari Vicarius temporalis ad nutum amovibilis; sed quicunque Vicarius instituitur, debet approbari ab Episcopo, ut videat, num capax sit exercendi curam animarum, citat pro hoc declarat. S. Cong. apud Barb. Episcopus tamen hunc Vicarium amovere non posset, nisi ex causa, propter quam beneficio privandus esset, si esset perpetuus; sed ejus revocatio & destitutio ad nutum monasterii seu Abbatis spectat. Secundò dicta verba pleno iure intelligi possunt, quod plenum jus consistat in potestate temporalia administrandi, nec non spiritualia, etiam quoad potestatem permittendi administrationem curæ animarum non auctorizabilem ulterius ab Episcopo. Et in hoc casu ne quidem ad effectum, ut nominatus declaratur capax curam & sacramenta administrandi, ad Episcopum recurrendum est. Sed solum monasterium seu illius rector vel Abbas nominabit, removebit & declarabit aptum ad curam animarum Vicarium illum temporalem, citat pro hoc Riccio in 2. pr. aurea variat. resol. c. 293. concl. 6. subditidem Tond. n. 13. diligenter notandum, quod ista omnia videntur correctæ per Trid. sess. 7. c. 17. ita ut per illum permittit sit Episcopis apponere Vicarios in beneficiis unitis Monasterio, capitulo, dignitati; idque non obstante ullâ consuetudine & exemptione, nisi tamen hæc concessa fuisset post Trid. etiam absque ejus derogatione, citat pro hoc Barb. in c.

R. Leuten. Fori Benef. Tom. 11.

exspiranda. de præb. §. qui vero. Garc. p. 11. c. 2. n. 5. ita tamen ut arbitrium illud Episcopi debeat esse regulatum, & cum iusta & rationabili causa, ex Garc. loc. cit. n. 8. & partibus citatis & auditis. Sed de hoc vide dicta ad initium primæ part.

5. Quod si etiam concessio facta ab Episcopo vel Papa pleno iure respectu temporalium tantum, seu conceditur Monasterio Ecclesia, ita ut inde possit percipere omnes redditus illius, eoque in suos usus & utilitatem convertere, & sic beneficium effectum sit de mensa Monasterii, omne jus Episcopale præservatur Episcopo: proinde cum ibi statuendus sit Rector, qui præsit Ecclesiæ eodem modo, quo prius, quia Ecclesia debet conservari in pristino statu, in quo nimirum quodam hoc erat ante istam incorporationem seu unionem quoad temporalia tantum. Lott. n. 15. Tond. loc. cit. n. 6. potest quidem monasterium ibidem deputare rectorem, etiam amovibilem, modò consuetum servitium Ecclesiæ non fraudetur, ut Lott. cit. n. 15. citans Jo. And. in cit. c. de Monach. n. 9. (quod tamen negare videtur Tond. dum ait: Monasterium non posse in hoc casu deputare Vicarium; cum penes illud nullum jus spirituale remaneat, sed unio seu incorporatio tantum facta fuit de rebus temporalibus, pro quibus Monasterium non eget Vicario; nec quamvis eo maxime egeret, is curam animarum exercere posset) debet tamen persona rectoris presentari Episcopo, qui habet illam instituere. Lott. loc. cit. n. 16. citans Abb. in c. de Monach. n. 2. & 8. Et sic monasterium in hoc casu non habebit nisi præsentationem rectoris, Episcopus verò institutionem, ad quam tamen institutionem Episcopus non procedit, nisi præviâ assignatione congrua. Lott. n. 19. de quo aliàs. Quin etiam ex eo, quod Ecclesia v. g. parochialis sit incorporata seu unita, vel potius donata quoad temporalia tantum, nimirum ut relicta congrua portione presbytero reliqui proventus cedant Monasterio, præsentationem presbyteri non spectare ad monasterium, nisi etiam simul donatum sit jus præsentandi rectorem, tradit Layman. loc. c.

Quæstio 719. An, & quid speciale sit hac in parte circa monasteria monialium?

Respondeo eadem, quæ dicta sunt quæst. præced. Procedere quoque respectu monasteriorum monialium, modò respectu exercitii ipsius curæ accedat auctorizabilis institutio Episcopi. Lott. l. 2. q. 12. n. 33. citans Felin. in c. cum venerabilis, de excep. n. 36. & Rot. decis. 2. 4. n. 4. de præb. in antiquior. licet enim moniales non sint capaces curæ, vel ejus exercitii actualis, sunt tamen capaces juris deputandi personam capace[m] ejus potestatis. Lot. loc. cit. n. 34.

Quæstio 720. Quid possint Abbates & Prælati inferiores circa beneficiorum provisiones?

1. Respondeo regulariter non habent jus conferendi beneficia, sed jus illud, ut dictum, propriè ad Episcopos spectat. Tond. qq. benef. p. 2. c. 3. §. 9. n. 1. citans Gonz. ad reg. 8. §. 1. pro am. n. 21. Possunt tamen jus instituendi & conferendi beneficia acquirere ex privilegio, consuetudine vel præscriptione immemoriali. Tond. ibid. n. 3. citans Lamb. de jure p. 1. 2. p. 3. q. 1. a. 10. cum communi. Et si enim ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, præscribi nequeant, ea tamen, quæ sunt jurisdictionis vel simplicis dignitatis Episcopalis, præscribi possunt

Dd 3

sunt